Fabulæ decimæ Translatio in Genus Glyconicum.

Umbrosum Æmoniæ nemus
Est, præupta quod undiq;
Claudit sylvula, nominant
Tempe; nam fluitat per hæc
Penëus vigeris aquis:
Dejectu terrens gravi
Fumos et agitantia
Ducit nubila, frigidâ
Ac aspergine saltibus
Summis impluit: atq; plus
Implet proxima quam sono.
Hæc sedes, domus hæc, vagi hæc
Amnis sunt penetralia.
Hic claustris residens, specu
Factô ex cautibus asperis,
Undis jus dabat, et piis
Nymphis ritè colentibus
Undarum cava littora.
Nam primùm popularia
Illuc flumina confluunt,
Gratentur benè nescia,
Solenturve suum Patrem
Sperchius populifer, et
Enipeus tumidus, senex
Nec non Apidanus, vagus
Amphrysus simili modô.
Moxq; amnes alii, impetus
Illos quà tulit, in mare
Ducentes latices aquæ
Fessos cursibus aviis.
Unus deficit Inachus;
Antro imoq; conditur

Multis fletibus amplificat
Undas: Filiam flebilis
Collugit sobolem, inscius
Est, vitamne fruatur, an
Sit manes apud inferos.
Quam non invenit ullibi,
In nullo esse putat locô.
Et pejora veretur is
Mente. Illam redeuntem à patris
Io flumine viderat
Magnus Juppiter: ô Jove
Virgo digna, latet Deum
Quem factura toro tuo
Felicem, pete, dixerat,
Umbras, dum calet, orbeq;
Sol lucet mediô nimis.
Quod si intrare times cava
Antra hæc sola animantium,
Altorum nemorum Deô
Defensore, subiveris.
Non de plebe Deo; vaga
Sed qui fulmina mitto; qui
Coeli sceptra manu fero.
Lernæ pascua, ne fuge
me nunc: nam fugiebat, jam
Lircæa arboribus sata
Altis arva reliquerat;
Cum caligine fertiles
Terras occuluit Deus
Inductâ, tenuit fugam